

Rome, 15 avril 1614. Bellarmin à Pierre Cutsem.

1412  
3912

/ Admodum Reverende, et Eruditissime Domine, ac veluti Fili in Christo amantissime. Ad litteras tuas datas die 15. Martii nihil habeo, quod respondeam, nisi me sancte polliceri tibi, et per te Bibliopolae amico tuo, me nulli alteri facturum potestatem imprimendi  
5 opera mea omnia, nisi forte Bibliopolam meum poeniteat incepti operis. Ago autem tibi gratias, quod me admonueris errati mei, circa tempus vitae Marsilii ab Ingen, et continuo emendavi locum illum in meis exemplaribus. Erit vero mihi gratissimum, ut tempestive me moneas, quando propinquabit tempus excudendi totum opusculorum: quia  
10 mittam ad te additiones, et correctiones ad opusculum de Scriptoribus Ecclesiasticis, et libri contra Barclaium: cui libro vellem adjungere Epistolam monitoriam R. P. Andreae Eudemon Joannis, quae excusa est isthic Coloniae, et est veluti Apologia brevissima, et optima pro libro meo contra Barclaium, et si isthic forte non inveniatur,  
15 mittam hinc emendatam. Vale, Vir optime, et mihi amicissime. Romae die 15. Aprilis 1614.

---

Epist. fam. CX.